

# DE LAVDIBVS MEDICINAE IOAN:

NIS AVR PACHII ELEGIA IN GOLSTADII, CVM CLARIS.

simus uir Doctor Ioannes Agricola Georgio Diechtelio Doctoris insignia conferret, publicè  
proposita. Anno domini 1554. die 20. Iunij.

**C**V M Deus à prima fabricasset origine mundum,  
Fecissetq; capax luminis esse solum,  
Et duram liquido iuxisset ab æthere terram,  
Inciperetq; graui cedere mole chaos:  
Iussit odoriferas uario procedere cultu  
Herbas, atq; suum floribus esse decus,  
Nec tamen esse decus saltem, sed grandior ipsum  
Ut faceret tantum causa mouebat opus.  
Scilicet humanum, quod iam fabricauerat inter  
Cætera formarum tot simulachra, genus.  
Quod ne morborum quaterent incomoda, uires  
Omnibus occultas rebus habere dedit.  
Hinc suus arboribus uigor est, in stirpibus illa,  
Quam natura dedit, uis genuina latet.  
Hinc teneræ sua producunt miracula plantæ,  
Et seges in pingui luxuriatur humo.  
Hinc steriles florent rigidis in montibus Orni,  
Annos ramos alta cupressus alit.  
Hinc pecudum cæso mactantur uiscera collo,  
Omnia quæ partem commoditatis habent.  
Hinc duri lapides, precioso pondere gemmæ  
Per uarias præbent commoda multa uices.  
**A**c, ut non tractem prolixis omnia uerbis  
(Quod breuis angusti temporis hora iubet)  
Quicquid in immenso felix natura creauit  
Orbe, suam grato munere præstat opem.  
Quæ res nota uiris cum facta sagacibus esset,  
Coniungunt operas quisq; subinde suas  
Consilijsq; piam faciunt prudentibus artem,  
Quæ Medicina suo nomine dicta uiget.  
Hæc auctore Deo radices altius egit,  
Quam dolus ut falsa tollere fraude queat.  
Non uno reliquis præfulget nobilis usu,  
Multiplicis partes utilitatis habet:  
Grassantes remouet certo conamine morbos,  
A Egrotos homines hac ratione leuat.  
¶ promptum morbis uenientibus offert,  
Et sanos homines hac ratione iuuat.  
Certas præscribit leges potusq; cibiq;  
Ordinat ad somnum quæ quadret hora tuum.  
Frigida commiscet calidis, ac humida siccis,  
Et uarios docta temperat arte cibos.  
**A**duersis aduersa suos opponit ad usus,  
Conueniens alio conueniente leuat.

**A**c uelut Amphitryoniades fera colla subegit,  
Et domuit fortis monstra superba manu,  
Omnia per latas penetrabilis Hellados oras  
Essent cum trucibus plena latrocinij,  
Atq; feri terram truculento Marte Cyclopes  
Vexarent, illos qui coluerent locos:  
Sic omnes febrium species, & tormenta pellit,  
Paeonia quisquis doctus in arte ualeat.  
Curat anhelantes, lassosq; doloribus artus,  
Ne caput inficiat dira grauedo, facit.  
Horrificis Podagra cruciatibus ille medetur,  
Illi auxilio languor aquosusabit.  
Dissimulatores ualeant, medicumq; timentes  
Qui sua si monstrarent uulnera, turpe putant.  
Quisquis habet aliquo corpus languore grauatum,  
Ne pigeat celeri currere quæso pede.  
Graffantiq; aliquem patronum querere morbo,  
Ne serpat lato tramite grande malum.  
Sed fidum, doctumq; petas, qui non sua spectet  
Commoda, sed cuius sit meditanda salus.  
Quem non corrumpunt promissi debita numen  
Munera, sed qualem præcipit ipse deus.  
Principijs morbi qui protinus oblet, & ægrum  
Exquis curet sumptibus, atq; leuet,  
Producatq; mali nullos lenimen in annos,  
Ut crescant fructus emolumenta sui.  
Hæc est illa fides medici sanctissima, tale  
Officium, qualis gaudet & ipse deus,  
Cum uarios miti curat medicamine morbos,  
Ut multis referunt Biblia sacra locis.  
Ergo tibi laeto congratulor ore Georgi,  
Propositumq; animi laudo proboq; tui.  
Ut tuere possis conare τεώγιος esse  
Fructibus utq; bonis sit tibi cultus ager.  
**A**gricola docti uestigia fida sequaris,  
Cuius in hac sic est arte probata fides,  
Et doctrina ualet studio cumulata sagaci,  
Ut paucos illi præposuisse queam.  
Effice consilio, cura, molimine, uestra  
Netemerè uobis nomina conueniant.  
Hæc est meta tuis præfixa laboribus, istum  
Strenuus ad portum nauita tendis iter.  
Quod patris ut summi clementia magna secundet,  
Eximo fundo pectoris opto tibi.

# DE TAVADA MEDICINA

MAGISTRI GREGORII DOCTORIS DEDICATA

anno domini 1324 ab anno 1320. tunc  
magister dominus petrus de laudate

Naturam medicinae et artis

Principia et rationes et causas

Primum et secundum et tertium

Gradus et gradus et gradus

Gradus et gradus et gradus